

Quæ & qualis sit in Deo scientia, &c. 43

facta sunt ; quia videbat pariter illa , antequam fierent ; quorum ideo non tunc primum novit bonitatem , quam ante noverat ; nec tunc primum vidit ut sciret ; nam ante videbat pariter & sciebat.

Itaque vult Tertullianus , ut ex parte Dei nihil sit novum in ista visione , sed tantummodo ex parte rerum , quæ tunc primum vindicantur , ut honorentur , ut consignentur , ut dispungantur singula in suo bonitatis gradu : siveque consequentissimum est bonitatem illam , quæ tunc primum non fuit visa , fuisse semper visam , & ideo cognitam , licet futuram , instar praesentis . Quod cum generatione pro universis futuris valeat , supereft , ut assertum fuit , Deum ab eterno illa omnia cognovisse instar praesentium .

Neque parum firmabitur hic discursus , si attenditur Deum potuisse creare Mundum ab eterno , ut alibi probatum est : in quo casu Mundus , quia nunquam fuisset futurus , sed fuisset semper praesens , visus utique fuisset semper a Deo praesens , & visus fuisset , quod esset bonus . Nec tamen , ut ad Tertulliani dictum ac cogitatum redeatur , Deus ab eterno Mundum vidisset bonum , quasi nesciens , nisi videret : sed potius quia bonum , ideo vidisset , id est , quia bonum effecisset , efficere autem bonum non potuisset , nisi præcognovisset illam ipsam bonitatem , quam vellet illi conferre .

Et sic semper eō redeundum est , ut res omnes dicantur apud Deum esse praesentes , & tales intelligentur , antequam sint productæ , etiam si supponantur ab eterno productæ . Quantò itaque magis necesse est , ut apud Deum praesentes sint antequam producantur in tempore ? Aliunde autem ipsa rerum praesentia non est erga Deum occasio novæ cognitionis , sive ratio habetur specierum rebus convenientium , sive temporum , in quibus illæ species è rebus prodeunt : namque Deum non afficiunt species illæ , quæ de cætero , qualecumque sint , tamen fuerint Deo præcognitæ , quam res ipsæ .

Rursus & tempora pro quibus illæ species tunc primum prodeunt è rebus , ut rerum ingerant cognitionem , nova non sunt in conspectu Divino : & sic nulla irrepere potest novitas in cognitionem Divinam : nulla , inquam , novitas ratione cuius cognoscat Deus altera præterita , quam futura , aut aliter futura , quam praesentia ; quia Deo nihil est præteritum , nihil futurum , ob id , quod ipsi nihil desit ; nam quidquid est præteritum , vel futurum deest ; unde S. Augustinus ad rem nostram intulit omnia esse Deo praesentia ; *Omne præteritum*

F ij

XVII.
Nec jam
ambiguitur ,
quoniam omnia
semper fue-
rint Deo
praesentia .

XVIII.
Si Deus
Mundum ab
eterno pro-
duxisset , ut
potuisse , sem-
per habuisset
præsentem .

XIX.
Et ideo si-
cet produxe-
rit in tem-
pore , semper
praesentem
habuit .

XX.
Nisi Deus
omnia vide-
ret ut pre-
senta , defi-
nit illi ali-
quid , ut sit
Augustinus .